

Ann. XV.

ROMAE, Mense Ianuario MCMXII

Num. I.

VOX VRBIS.

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

CONDIDIT ARISTIDES LEONORI EQUES

POSSIDET ATQUE ADMINISTRAT SOCIETAS EDITRIX ROMANA

Pretium annuae subnotationis, est:

In Italia: Libellarum **6**

ubique extra Italianam: Lib. **9** (Doll. **1,80**; Sch. **7**; M. **7**; Rubl. **4**; Coron. **9**)

ANTE SOLVENDUM ET RECTO TRAMITE MITTENDUM

AD SOCIETATEM EDITRICEM ROMANAM

ROMA — Via delle Coppelle, 35 — ROMA

SUBNOTATIO EXTRA ITALIAM FIERI POTEST:

IN RUSSIA

apud

Gebethner et Wolf

Varsavia Polonorum

Rakiewskie Przedmiescie, 15

apud

"Kronika Rodzinna,"

Varsavia Polonorum

Krakowskie Przedmiescie, 6.

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

London W.

28, Orchard Street.

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Montreal

1699, Rue Notre-Dame

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Usum latini sermonis per orbem universum tuetur ac fovet

Itaque, latine omnino exarata, scripta edit, quae populos omnes aliquo modo attingant, a publica re ad bonas artes, a litteris ad historias, a philosophicis ad sociales quaestiones, a nunciis et significationibus ad simplices et facili stylo expressas descriptiones, narratiunculas, dramaticas actiones; ab antiquitatis scientia ad dialogos vitae argumenta maxime communia tractantes, unde colloquia latine inire atque alere detur; a doctorum virorum scriptis nondum vulgatis aut parum cognitis ad primas adolescentum exercitationes, quae incitamentum veluti in palaestra eorum conatibus conferant; a Pontificiis denique documentis praecepsis ad iuris regulas in S. Congregationibus inductas; haec omnia ut quisque vel ex dissilis regionibus, aut cultu, doctrina, animi proclivitate, artibus alter ab altero diffinis per commentarium eumdem explere desideria sua possit.

PRETUM ANNUAE SUBNOTATIONIS EST:

In Italia libellarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1,80; Sch. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

ANTE SOLVENDUM ET RECTO TRAMITE MITTENDUM

ad Societatem Editricem Romanam

ROMA — VIA DELLE COPPELLE, 35 — ROMA

QUAE COMMENTARIUM POSSIDET NUÑC ATQUE ADMINISTRAT.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Praemia ann. MCMXI sociis attributa.

An aliqualis detur dogmatis evolutio.

Petro Parvensio cognomine «Queritori», Polonorum vati satyrico, CCC recurrente anno ab eius obitu.

Stili lapidarii elementa. De inscriptionibus nummariis. — De rerum privatarum titulis. — De inscriptionibus poeticis.

Paroemiae sive adagia: Litus arare. — Arenam metiri. — Undas numerare. — Surdo oppedere. — Delphinum cauda ligare. — Cauda tenere anguillam.

Horae subsecivae. I. De poësi quam Arcadicam dicunt. — II. De hominum iniustitia et de vulgari plausu contempndo.

De aliquot puerorum ludis in Italij. Pila venenata.

Colloquia latina. Varia petuit facultas egrediendi schola.
De Sanctis Magis nonnulla.

Acta Pontificia. I. Constitutio Apostolica de nova psalterii in breviario romano dispositione. — II. Motu proprio de trahentibus clericos ad tribunalia iudicium laicorum.

Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. Ex Congregatione Consistoriali. — Ex Congregatione Rituum. — Ex Secretaria Status.

Diarium Vaticanum. Coram SSmo. admissiones. — Pontificiae electiones. — Varia.

Annales. Annus MCMXI.

Publici per orbem coetus legibus ferendis.

Per orbem.

Ioci.

Aenigmata.

Appendix: Euplius.

PRAEMIA AN. MCMXI SOCIIS ATTRIBUTa

Vix superioris mensis *Vocis Urbis* nostrae fasciculus editus est, doctorum virorum collegium, ad id constitutum, convenit, ut singulare praemium trium numismatum argenteorum ex iis, quae Pontifex Maximus quotannis in festo Apostolorum Principis cudi iubet Sacro Purpuratorum Senatui, Romanae Curiae aulicisque pontificiis distribuenda, iuxta normas mense Decembri MCMX constitutas, adsignaret.

Quae quidem numismata erant prouti sequitur distribuenda: unum collegio, aut Seminario, aut scholae illi unde plurima soluta oratione scripta cuiuslibet argumenti publicatione digna ad nos per annum MCMXI pervenerint; reliqua duo sociis illis, quorum scripta pariter per annum in commentario vulgata, commendata maxime fuerint.

Sed heu! circa numismatis primi adsignationem facile compertum est eam nobis in spe magis, quam in re ponendam esse; nullum enim scriptum nomine collegii cuiusvis per annum missum fuit; quod non uni nos doluimus, sed - ecquid tacebimus? - ipse Pontifex Summus, qui, quum hisce diebus pro Eius benevolentia moderatorem nostrum ad privatum colloquium coram se admisisset, valde cum eo conuestus est de neglectu latini sermonis in ipsis illis Seminariis, apud quae praesertim in maximo honore esse deberet.

Quum autem de reliquis numismatibus adiudicandis actum est, facile apparuit, si carmina nonnulla satis probabilia - pro quibus nullum constitutum erat praemium - a sociis provenissent, de scriptis, contra, soluta oratione unum tantum prae-

ceteris commendari posse, quamquam ex omni parte haud absolutum; commentationes dicimus THEODORI T. CHAVE «de studiis quibus eget res latina», cui propterea egregio viro unice attributum est praemium.

* * *

Sunt itaque ad ann. MCMXII numismata quattuor inter socios distribuenda, qui, ad fovendam latinatem, egregiam scriptoris operam in nostro Commentario contulerint; duo scilicet elapsi anni, ut supra, residua; ac duo, quae, iuxta regulas in superiore numero edictas, ultra posuimus.

Liceat nobis animo nunquam fracto pro latina re appetere, ut felix magis qualiscumque huius nostri certaminis exitus futuro Ianuario mense possit enuntiari!

SOCIETAS EDITRIX ROMANA.

An aliqualis detur dogmatis evolutio

Modernistarum sententia est, prouti in Epistola *Pa-scendi* Pii P.P. X legitur, «evolvi ac mutari dogma non posse solum, sed oportere.» Theoria huiusmodi cum Vaticani Concilii Decreto (*De fide et ratione*, can. III. Denz., 1665) conciliari nequit, quum ibi legatur: «S. q.d. fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit aliis ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia, a. s.» Multoque minus conciliari potest cum sacrae Theologiae veritate. Siquidem non appareat, quomodo, posita dogmatis mutatione Modernistarum in sensu, eiusdem dogmatis immutabilitas, Ecclesiae identitas

neconon illius infallibilitas intactae maneant. Hinc merito Pius X (*Syll.*) propositionem vigesimam secundam e Loisy operibus desumptam damnavit: « Dogmata quae Ecclesia prohibet tamquam revelata, non sunt veritates e caelo delapsae, sed sunt interpretatio quae-dam factorum religiosorum quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit. » (1)

Propter haec omnia nos, cum catholicis scriptoribus, in praefata quaestione duplarem dogmatis evolutionem distinguimus. Primo est evolutio, in qua dogmatis substantia mutatur, et iuxta quam saeculorum decursu in Ecclesia nova dogmata habentur, quamvis de hisce nihil a Christianismi initio praeeexistat. Quae evolutio, a Modernistis edocta, (2) ab Ecclesia sapienter damnata fuit. Secundo, est evolutio, in qua dogmatis substantia immutata manet, ita tamen, ut dogma aliquod, quod implicite credebatur, evolutionis virtute explicitius credatur, clarius cognoscatur, clarioribus verbis atque pressiori sermone ab ipso Ecclesiae vivo magisterio enuntietur ac definiatur. Huiusmodi dogmatis evolutionem propter facta quaedam, propter rationis momenta, nec non propter catholicorum scriptorum auctoritatem, praesertim Doctoris Angelici, defendendam esse putamus.

**

Dogmatis catholici evolutio secundo sensu explicata, ex factis quibusdam est defendenda. Dogma ex g. de B. Virginis Mariae Conceptione immaculata in Ecclesia Iesu Christi *semper a fidelibus implicite creditum fuit*. Temporis progressionem, quidam progressus, quaedam evolutio circa dogma illud habita fuere, substantiaque eiusdem manente, dogma de Conceptione B. V. Mariae Immaculata, lente gradatimque maiorem evidentiam, lucem, distinctionemque accepit, quoadusque Pius IX a. 1854 per Bullam « *Ineffabilis* » (d. 10 Dec.) declaravit, pronuntiavit et definivit doctrinam, quae tenet « beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpe labe preservatam immunem, esse a Deo revelatam atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendum. » (3) Non fuit nova veritas, sed veritas antiqua, novo modo proposita ad credendum.

Pari modo, dogma de Romani Pontificis infallibilitate, dum *ex cathedra* loquitur, quamvis a paucis negatum, implicite in Ecclesia Christi creditum fuit. Temporis progressu, dogma huiusmodi sese evolvere incepit gradatim et lente, quoadusque Vaticanum Concilium clare et solemniter docuit et divinitus revelatum dogma

(1) *L'Évangile et l'Église*, 202-203; *Autour d'un petit livre*, 189.

(2) Cf. HARNACK, *Das Wesen d. Christ. Vierzehnte Vorlesung*, C. NEGRI (*L'Imperatore Giuliano Ap. — La discordia del Cristianesimo*): « Nella morale (*La Chiesa*) era discesa dalle pure altezze del Vangelo e dal Cristianesimo primitivo e si era avvicinata allo stoicismo; nella filosofia aveva costruito un grande edificio teologico, adoperandovi i materiali del Platonismo; nel culto, aveva plasmato le sue ceremonie su quelle dei Misteri. »

(3) Denzinger, 1502.

esse definitivum « Romanum Pontificem cum ex Cathedra loquitur, id est, quum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens pro supra sua Apostolica Auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit. » (1) Non aliter dicendum est de quibusdam aliis veritatibus dogmaticis, in quibus eadem evolutio idemque invenitur progressus; eadem veritas est, quae propter tamen evolutionem advenientem, progressu temporis, clarior, distinctior, evidentior fit.

Hisce omnibus motiva rationis addi possunt. Secunda illa evolutione adserita salvantur:

a) Dogmatis immutabilitas, quia non iam dogmatis substantia, sed solummodo accessoria illius tanguntur, ipsumque dogma idem manet, non secus ac ab Ecclesiae initio fuit;

b) Leges de rerum omnium progressu in melius intactae manent, quia dogma progressu temporis lucem, evidentiam distinctionemque maiorem accipit, perfectiusque mentibus aptatur humanis;

c) Lex rursus de cuiusque rei viventis evolutione salvatur; sicut enim res viva eadem semper manens, continuae evolutioni in his quae accidentalia sunt subiicitur; ita quoque ipsum dogma idem manens semper, modo tantummodo accidentaliter atque in his quae accessoria sunt evolvitur;

d) Lex de vocum formularumque mutatione, quibus progressu temporis veritas exprimitur, non offenditur. Voces enim antiquitus ad dogmata exprimenda adhibita, in novas voces, quibus melius aptiusque dogmata exprimuntur, mutari possunt, veritate dogmatum immutata manente.

**

Non alia est catholicorum scriptorum mens. Tertullianus (2) per haec verba « dogmatis evolutionem » secundo sensu acceptam exprimit: « Regula quidem fidei una omnino est, sola immobilitis, et irreformabilis... Hac lege fidei manente, cetera iam disciplinae et conversationis admittunt novitatem correptionis... Quoniam humana mediocritas omnia semel capere non poterat, paulatim dirigeretur et ordinaretur et ad perfectum perduceretur disciplina ab illo vicario Domini Spiritu Sancto... Quae est ergo Paracleti administratio, nisi haec, quod disciplina dirigitur, quod Scripturae revelantur, quod intellectus reformatur, quod ad meliora proficitur?... Aspice ipsam creaturam paulatim ad fructum promoveri. Granum est primo, et de grano frutex oritur, et de frutice arbuscula enititur; deinde rami et frondes invalescent, et totum arboris nomen expanditur, inde germinis tumur et flos de germine solvitur, et de flore fructus aperitur...

(1) Denzinger, 1682.

(2) *De Virgin.* *relandis* I. MIGNE. 2,937.

Sic et iustitia (nam idem Deus iustitiae et creature) primo fuit in rudimentis, natura Deum metuens; dehinc per Evangelium efferbuit in iuuentutem; nunc per Paracletum componitur in maturitatem. »

Eadem Vincentius Lirinensis (1) docet: «O Doctor... pretiosas divi dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adiice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur, te exponente illustrius, quod ante obscurius credebatur... Eadem tamen quae didicisti doce, ut quum dicas nove, non dicas nova... Sed forsitan dicet aliquis: Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur Religionis? Habebitur plane, et maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio... Crescat igitur oportet et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia. Imitetur animarum religio rationem corporum: quae licet annorum processu numeros suos evolant et explicent, eadem tamen quae erant permanent... Christianae Religionis dogma sequatur has decet profectum leges, ut omne scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur aetate, incorruptum tamen illibatumque permaneat... Fas est etenim ut prisa illa caelestis philosophiae dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur, sed nefas est ut commutentur, nefas est ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant, licet, evidentiam, lucem, distinctionem; sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem... Quid unquam aliud Conciliorum decretis enisa est (Ecclesia) nisi ut quod antea simpliciter credebatur hoc idem postea diligentius crederetur, quod antea lentius praedicabatur, hoc idem postea instantius praedicaretur, quod antea securius colebatur hoc idem postea excoleretur? »

M. Canus (2) quoque scribit: «Dogmata fidei, sive Christus ipse per se apostolis revelarit, seu Spiritus Sanctus post Christi ascensionem in caelum, mutari non possunt... In illis quae antiquorum sunt ingenio ac diligentia elaborata, non nihil nos christiano populo, si volumus, praestare et quidem utilissime possumus. Possumus enim vetustis novitatem dare, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus naturam suam, et naturae suae omnia. » Brevitatis causa, scriptorum recentiorum testimonia relinquimus, atque Doctoris Angelici mentem referimus. (3)

S. Thomas dogmatis evolutionem, manente dogmatis essentia immutata, docet, quum asserat:

(1) *Comm.* I, 22-23 M. 50-667.

(2) *De loc. theol.*, I. III c. V; I. VII, c. IV.

(3) Cf. circa mentem recentiorum, PESCH, *Propaed.* Sect. V, n. 526, 530. — TIXERON, *Histoire des dogmes*, I. Introd. nota p. 7. — DE LA BARRE, *La vie du dogme catholique*. — POURRAT, *La théologie sacramentaire*. — KRAUS, *Lehrbuch d. Kirchengeschichte* ss. 2. «Es gibt eine Kirchliche Dogmenentwicklung. — FEI, *De Dogmatis evolutione*.

a) Dogmata quaedam in aliis implicite contineri: « Omnes articuli implicite continentur in aliquibus primis credibilibus, scilicet ut credatur Deum esse, et providentiam habere circa hominum salutem, secundum illud ad Hebr. XI, 6: Credere oportet accendentem ad Deum quia est, et quod inquirentibus se remuneratur sit. In esse enim divino includuntur omnia quae credimus in Deo aeternaliter existere, in quibus nostra beatitudo consistit: in fide autem providentiae includuntur omnia quae temporaliter a Deo dispensantur ad hominum salutem, quae sunt via in beatitudinem; et per hunc etiam modum aliorum subsistentium articulorum quidam in aliis continentur et incarnatio Christi, et passio, et omnia huiusmodi. » (1)

b) Dogmata, quantum ad eorum explicationem, crevisse: « Dicendum est, quod quantum ad substantiam articulorum fidei, non est factum eorum augmentum per temporum successionem: quia quaecumque posteriores crediderunt, continebantur in fide praecedentium patrum, licet implicite. Sed quantum ad explicationem crevit numerus articulorum: quia quaedam explicite cognita sunt a posterioribus, quae a prioribus non cognoscebantur explicite. Unde Dominus Moysi dicit, (*Exod.* VI, 2 et 3): Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, et nomen meum Adonai non indicavi eis; et David dicit, (*Psal.* cxviii, 100): Super senes intellexi; ed Apostolus dicit (ad *Ephes.*, III, 5): Aliis generationibus non est agnitus mysterium Christi, sicut nunc revelatum est sanctis apostolis eius et propheticis... — Plura symbola... in nullo alio differunt nisi quod in uno plenius explicantur quae in alio continentur implicite, secundum quod exigebat haereticorum instantia. » (2)

c) Respectu dogmatum dari in humana cognitione progressum: « Profectus cognitionis dupliciter contingit: uno modo ex parte docentis, qui in cognitione proficit, sive unus, sive plures, per temporum successionem, et ista est ratio augmenti in scientiis per rationem humanitus inventis; alio modo ex parte addiscentis, sicut magister, qui novit totam artem, non statim a principio tradit eam discipulo, quia capere non posset, sed paulatim, condescendens eius capacitatibus; et hac ratione profecerunt homines in cognitione fidei per temporum successionem. Unde apostolus (ad *Galat.*, III) comparat statum Veteris Testamenti pueritiae... Oportuit quod ab imperfectis ad perfectum procederet cognitio fidei in hominibus; et licet in hominibus quidam se habuerint per modum causae agentis, quia fuerunt fidei doctores; tamen manifestatio spiritus datur talibus ad utilitatem communem, ut dicitur (I ad *Cor.*, XII): et ideo tantum dabatur patribus, qui erant institutores fidei, quantum oportebat pro tempore illo populo tradi, vel nude, vel in figura. » (3)

Romae.

REGINALDUS M. FEI O. P.

(1) 2-2^{ae} p. I, 7. — (2) Ib., a. 9, ad 2. — (3) 2-2^{ae} I, a. 7 ad 2 et 3

PETRO PARWENSIO
COGNOMINE "QUERITORI",
POLONORUM VATI FATIDICO
CCC RECURRENTE ANNO
AB EIUS OBITU.⁽¹⁾

« Discordant animi eorum; nunc peribunt». « Seit mutare executiones suas Deus; sed mutemus malitiam nostram».

IDEAM VATES.

*Diva, tu cur gens sacraque arte vatum
Non simul polles facere, ut sequentes,
Quae pie dicis, vereamur aequa*

Dicta salutis?

*Vana Cassandrae dedit ipse Apollo
Dona, quae Troiae dare secla possent,
Contumax si, quae per eam canebat,
Troia patrasset.*

*Non furens virgo haec neque mente capta,
Sed vocandus sic populus, ruente
Urbe quem sero puduit deorum et
Cladis amarae.*

*Sic fuit nobis etiam Polonis
Nobilis vates Petrus ille Pawenz,
Voce qua nomen clipeo suum dat
Lingua polona.*

*Quis viam rectam patriae salutis
Aptius scivit populo indicare?
Tam flagranter quis mala praevidere
Perniciosa?*

*Laeta nunc terrae facies micaret,
Quam dolor spargit lacrimis amaris,
Si monente et tum lacrimante vate
Crimina flessent.*

*Vanae erant voces animique surdi;
Civis ignavus neque amans querelae,
Neglegens rectum « Queritoris » ornat
Nomine vatem.*

*Exitum culpae miseri gemunt nunc
Posteri; num sunt ita doctiores?
Tempus o! damno sapientiorem
Esse Polonum. (2)*

*Surge tu, Petrus, repepe et laborem;
Forsitan, quae nos mala sors perangit,
Aestimare et iam facere obsequentes
Iussa docebit.*

Varsaviae Polonorum.

JOSEPHUS WABNER.

(1) Universae Poloniae cives in animo habent anno hoc MCMXII summa sollemnitate trecentesimam memoriam Petri Pawenski cognomine *Skorya* (Queritor) celebrare, qui, ut inter omnes Polonorum historiae guaros constat, non solum orator monitorque aureus et scriptor praestantissimus fuit, sed etiam, civis patriae suae amantissimus, pernicie futuram, nisi civium mores atque licentia corrigenter, iam plus quam ducentis annis ante divinitus vaticinatus est.

(2) Conf. N. C. Sarbievii odam (iv. 5):

« Me prisia laetat fabula: crescere
Per ipsa Lechum damna; sed heu! recens
Ne me repellat fama Lechum
Damna suis cumulare dannis».

Stili lapidarii elementa⁽¹⁾

VIII. — DE INSCRIPTIONIBUS NUMMARIIS.

Inscriptionum nummariarum aliae sunt in adversa nummorum fronte, aliae aversa, omnes vero brevissimae. Et in adversa quidem fronte sunt inscriptiones, vel Imperatorum ut

C. CAESAR. IMP. PONT.

III. VIR. R. P. C.

Vel domus Augustae, ut

TI. CAESAR. AVGVSTI. F.

IMPERATOR. VII.

Septimum Imperator ob totidem victorias appellatus est Tiberius, Augusti filius, qui solus e Privignis, quos adoptarat, superstes erat.

In aversa nummorum fronte habes primo titulos Diis positos, ut

MARS. VICTOR

S. C.

IOVI. CVSTODI

MINERVAE. PACIFERAЕ

MARTI. PACATORI

Dii saepe in nummis appellantur, aliquando etiam Augusti dicuntur. Erant autem ii, quos Romani Principes aut propitos habere, aut quorum virtutes referre putabant.

Adscriptum est in hoc Galbae nummo, quod in aereis tantum reperietur, S. C. Id ea de causa factum putant eruditii, quod Senatus aes tantum signandum curaret. Hoe falsum putat Morellius, quod qui Monetae curatores erant, omnes nullo discrimine Triumviri auro, argento, aeri flando, feriundo appellabantur. Cur ergo in aere tantum adscriptum S. C.? Sciendum aliorum nummorum pretium in ipso metallo totum fuisse: aereis vero nummis ob imminutam formam etiam pretium publica auctoritate accedere debuisse.

Secundo, habes in aversa nummorum fronte titulos Imperatoribus attributos:

LOCVPLETATORI

ORBIS. TERRARVM

Hoc titulo ornatum Hadrianum Augustum putat Spanhemius.

S. P. Q. R.

ADSSERTORI

L I B E R T A T I S

PVBLICAE

Hic est Vespasianus Augustus.

Tertio, titulos Augustarum, et Caesarum, ut

AVGVSTA. MATER

PATRIAE

(1) Cfr. sup. anni num. XI.

Livia, Drusi filia, Tiberii primum Neronis, deinde Augusti uxor, materque Tiberii Augusti.

Quarto, virtutes Augustorum, ut

MODERATIONI
S . C .

In pluribus Tiberii nummis.

Quinto, opera publica Augustorum, ut

MAC . AVG .
S . C .

Macellum Augusti, idest, forum obsoniorum omnium.
Hic nummus Neronis est.

Sexto, liberalitates Augustorum, ut

PLEBI . VRBANAE
FRUMENTO . CONSTITVTO
S . C .

Sic in nummo Nervae.

Septimo res ab Imperatoribus gestas, ut

CIVIBVS . ET . SIGNIS . MILIT.
A . PARTHIS . RESTITVTIS

Sic in Augusti nummo inscriptum post recuperatos
obsides et signa quae Parthi Crasso abstulerant.

Octavo denique, honores Augustis habitos, ut

ADVENTVI . AVG .
FELICISSIMO
S . C .

IX. — DE RERUM PRIVATARUM TITULIS.

Nos inornata et muta a literis munera mittimus :
veteres contra nullum prope munuseulum sine titulo
esse patiebantur. Itaque habes titulos :

I. in gemmis annularibus, ut

AMO . TE
AMA . ME

PIGNVS . AMORIS . HABES

II. in poculis, et pateris, ut

VIVAS . VALEAS . VINCAS

Convivium magnorum Ducum fuisse illud dixeris,
in quo pocula victoriae omen inscriptum haberent:

HILARE

SEMPER

GAVDEAS

In poculi haec fundo scripta, quod Hilarus conviva
pro apophoreto auferre debebat, et eo consilio scripta,
ut vino primum hausto legeret monitusque seria
contractae frontis explicaret. Titulos huiusmodi in vasorum
fundis interius inscribendi mos erat vetus vel apud
Graecos. Morem hunc etiam Christiani veteres sequuti,
quorum vitrei aliquot calices et sacra habent symbola,
et titulos huiusmodi referunt, quos Bonarrotus, ac Bol-
dettus commentariis suis consignarunt.

A . SEPTVNOLENA
PETR . MAISIO
DONO

A. id est Aula. Petr. idest Petronio.

Similia habes in tesseris, in armis, et instrumentis
bellicis, in lateribus demum, ac tegulis.

X. — DE INSCRIPTIONIBUS POETICIS.

Ex quo studia humanitatis, ac litterarum coli vehementius copta, rarius fortasse in monumentorum titulis versus usurpati, aut certe domi potius, quam in publico propositi sunt.

Qui vero inscriptiones versibus confecerunt, sic fere in Epitaphiis haesisse videntur, ut ceteras res atque argumenta vix carmine digna iudicarent. Hanc ipsam vero provinciam poetae nobiles et ingeniosi minus saepe suscepisse videntur. Quapropter nec multa apud ipsum Morecellum exempla, nec omnia praeclara reperies. Unum tamen ex Epitaphiis, ex Inscriptiōnibus Saeris, ex Historicis, ex Elogiis.

a) — *Epitaphium.*

HIC.SITVS.EST.RVFVS.PVLSO.QVI.VINDICE.QUONDAM
IMPERIVM . ADSERVIT . NON . SIBI . SED . PATRIAE

L. Virginii Rufi laudes persequitur Plinius in epistles ad Romanum. Hic quum Germaniae praeesset, legionesque apud se haberet, Iulium Vindicem novis rebus in Gallia studentem adortus magnifice vicerat, delatumque a multibus imperium forti animo recusaverat auctor militibus ut Principis eligendi potestatem penes Senatum esse paterentur.

Alia epitaphiorum genera, sive exempla, poetae veteres suppeditabunt, ut elegantissimum illud :

HIC.TIBVRTINA.IACET.AVREA.CINTHIA.TERRA
ACCESSIT . RIPAE . LAVS . ANIENE . TVAS

b) — *Inscriptio sacra.*

MERC . SACR.

SVM.DEVS.ALATIS.QVI.CRVRBVS.AETHERA.CARPO
QVEM . PEPPERIT . SVMMO . LVCIDA . MAIA . IOVI

c) — *Inscriptio Historica.*

QUAM.BENE.CVRVATI.DIRECTA.EST.SEMITA.PONTIS
ATQVE . INTERRVPTVM . CONTINVATVR . ITER

CALCAMVS . RAPIDAS . SVBIECTI . GVRGITIS . VNDAS
ET . LIBET . IRATAE . CERNERE . MVRMVR . AQVAE

ITE.IGITVR.FACILES.PER.GAVDIA.VESTRA.QVIRITES
ET.NARSIM . RESONANS PLAVENTVS . VBIQVE . CANAT

QVI.POTVIT.RIGIDAS.GOTHORVM.SVBDERE.MENTES
HIC . DOCVIT . DVRVM . FLVMINA . FERRE . IVGVM

Titulum hunc via Salaria legimus adhuc ad Pontem Anienis, ibidemque alterum, quo versus hi apprime explanantur. Legitur enim Narsetem, devictis Gothis, pontem a Totila destructum, purgato fluminis alveo, meliorem in statum, quam quondam fuerat, renovasse.

Elogium inscripti statuae Memoris :

CLARVS.FRONDE.IOVIS.ROMANI.FAMA.COTHVRNI
SPIRAT . APELLEA . REDDITUS . ARTE . MEMOR

Hoc elogium habes apud Martialem. Titulus epigrammatis est : *De statua Memoris.*

Qui Memoris statuam fecerat, huic vel nomen fuit Apelles, ut veteri statuario apud Plinium, vel adeo praestitit, ut inter statuarios is esse videretur, qui olim Apelles fuerat apud pictores.

(Ad proximum numerum)

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Litus arare

Est sterilem operam sumere. Ausonius ad Theonem :

*Quid geris extremis positus telluris in oris
Cultor arenarum ratus, cui litus arandum?*

Significans eum inaniter laborare. — Huius peculiari usus erit quum officium impenditur in eum, a quo nihil sis fructus aliquando percepturus. Item alia adagia : *Arenae mandare semina — In aqua segmentem facere — In saxis seminare — In aqua scribere — Ventos colere, etc.*, et etiam.

Arenam metiri — Undas numerare;

hoc est : Rem infiniti laboris atque inexplicabilem incepere. Vergilius utramque paroemiam eleganter attigit libro *Georg. II.* :

*Quem si scire velit, Libyci velit aequoris idem
Discere quam multae zephyro turbentur arenae,
Aut ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Nosse, quot Ionii veniant ad litora fluctus.*

Videri potest ab Aesopico quodam apolozo natum adagium, quem refert Lucianus in *Sectis*, olim quemdam in maris litore sedisse, conantem singulas undas pernumerare ; quumque undas undis trudentibus obrueretur, animoque male angeretur quod eas numero complecti non posset, adiens calida vulpes opportuno consilio sic hominem sublevavit : « Quid angeris - inquit - propter undas, quae praetereunt ? Hinc numerare incipias oportet, illas missas facias ».

Surdo oppedere.

Surdo oppedere sive apud surdum crepitum edere dicitur ubi quid frustra fit, aut ubi precatur apud stupidos qui non queant sentire, sive quum conviciis incessitur is, qui perinde neglit, quasi non audiat. Refertur a Diogeniano et a Suida.

Delphinum cauda ligare.

In eos qui quidpiam incassum conantur ; propterea quod delphinus cauda sit lubrica, nec ea parte teneri queat, aut quod cauda sit valida, cuius agitatione ferebatur et naves aliquando subvertere, ut hac parte esset invictus. Quadrabit et in eos, qui ea via quempiam aggrediuntur, qua nequam possit superari.

Cauda tenere anguillam.

In eos apte dicitur, quibus res est cum hominibus lubrica fide perfidisque, aut qui rem fugitivam atque incertam aliquam habent, quam tueri diu non possint.

HORAE SUBSECIVAE

I.

De poësi quam Arcadicam dicunt.

*Catervo Serranio,
bonarum litterarum doctori.*

Maxime Musarum cultor Caterve salutem.

Ergone Ventidius risit mea carmina ? Vix dum
Hoc a te novi, permagna concitus ira
Arripui calamum scripturus dura : putasne
Clamabam, Maevi, sapiens et clarus haberi
Si cum non valeas doctrina excellere, plebis
Seite auras captas aliorum censor acerbus ?
Paucorum fors laude tumes ? At mente teneto,
Qui te demuleet, nimiis et laudibus effert
Aut parat insidias, aut iam te impune fecellit.
Qui cupid ad magnam meritis ascendere famam
In lucem sua scripta ferat, doctisque probetur.
— Versus Arcadiam redolent. — Invisere dulces
Quis vetat interdum colles et amoena vagari
Per nemora et valles, curis studiisque severis
Pauxillum abruptis ? Tua si natura voluptas,
Et quem non rapuit ? camporum saepe recessus
Si petis ut valeas animi depellere curas,
Quae bene naturam pingunt cur carmina damnas
Non tibi conveniens ? Nugis sonuisse canoris
Quis negat Arcadiam, rupto cum foedere, verum
Non semper pulchro dextram tendebat amicam.
Hoc quoque concedam minimum genus esse poesis,
Utpote quae agrestis, semper conceptibus apte
Induitur blandis; verum hinc damnanda vel aequa
Omnia quae in lucem profert urenda camino,
Seu rem contineant dulcem graioque saporem
Conspersam, aut tantum numeros et inania verba ?
Vitam hominis cunctam plena sub imagine rerum
Fingit epos, sed saepe angusto in limite clausa
Seinditur in varias species formasque poesis ;
At verum et pulchrum ingenita virtute renident
Sub quavis forma : sed crebro vergit ad imum
Qui medium insequitur. Cum iam permulta severus
Carmina prodiderim, levibus si terque quaterque
Versiculis lusi, terram rumore polumque
Complebis clamans ; vel si inter seria parvum
Lenimen quaero non excusatus abibo ?
At dum magna crepas, caveas ne forte puteris

Arcadia electus, quos versus scribere nescis
 Arguere, antiquam sic vulpem imitatus acerbam
 Uvam spernentem..... Scribebam talibus asper
 Cum sensi bilem paullatim pectore lapsam,
 Meque ipsum risi. Ingenitos expungere mores
 Quis valet? Aut quis miretur si rana coaxat,
 Si erocitat corvus, magnoque incensus amore
 Si rudit auritus, Maius cum vernal, asellus?

II.

De hominum iniustitia et de vulgari plausu contemnendo.

*Iosepho Pascilio Marinello,
 scriptori carinum elegantissimo.*

Quaenam pro tanto credis servata labore?
 Pane caret sapiens, auro dum stultus abundat,
 Lautisque accumbit mensis. Has corde querelas
 Effundens, Ioseph, supremo tempore vitae,
 Tergis honorato frontem sudore madentem.
 Sed nihil in terris exstat pretiosius auro
 Vulgari aut plausu? perituraque cuneta putandum
 Nobiscum? Vivet, vivet pars optima nostri,
 Nam einis addictus tumulo non fama bonorum.
 Scilicet adveniet tempus cum luce serena
 Faeta hominum clare pateant, rectaque nepotes
 Nos lance appendent. Verax tum pagina nomen
 Cuique suum insculpet nullum deleibile in aevum.
 Quot tune heroum vilesceere nomina, nigris
 Obsignata notis, quot nunc miracula vulgi
 In probrum verti et vitium cernentur, iniquae
 Ut pateant artes quibus emersere. Curulis
 Quidnam sella madens lacrimis et tincta cruento
 Quem furor effudit, dominandi et caeca libido
 Expressit miseris? Vel quid grex ille nefastus
 Qui terrae acclinis procerum vestigia lambit,
 Et recinit mendax positas in foenore laudes?
 Iustitiam, clamans.... Cuinam sed ferre querelas?
 Ad magnas aedes moerentum surgere voces
 An credis? Vel recta sequi verumque videre
 Qui loca summa tenent? Nebulis ibi crassior aer
 Qui sensus hebetat, dum circum callida turba
 Sese inter tenebras agitat, rerumque potitur
 Regibus ignaris (1). Congestis undique nummis
 Interea assurgunt villae, viridaria florent,
 Ornanturque domus tabulis et divite luxu,

(1) Eodem sensu quo Horatius: *Mæcenas atavis edite regibus.* (Lib. 1, Ode 1).

Auguri et occurrens ridet Tripontius augur.
 Fortuna in modica siecus si temneris uncto,
 Mercedes hominum ventosaque nomina ride.
 Digna sibi merces virtus, quae pressa malignis
 Altius attollit frontem nescitque repulsas.
 Quare animo fortis, culpa nee pallidus ulla
 Sorte tua gaude, summoque e vertice montis,
 Musarum Sophiaeque sedes ubi magnus alumnu,
 Despice vulgares turbas in valle iacentes.
 Aiunt, « Non complet virtus, non fama crumenas »;
 At iuris vindicta exstat qui temperat aequa
 Sortes, atque hominum iustus benefacta rependit.
 Vivit amicitiae sanctum ac venerabile nomen.
 Haec te per reliquos, quot sint solabitur annos,
 Haec, effata vale, nutantia lumina condet,
 Et gelido illaerimans componet membra sepulero.

P. RECANATESI.

DE ALIQUIT PUERORUM LUDIS IN ITALIS⁽¹⁾

Pila venenata.

Siste parumper, viator! Vides? Quot iuvenes stant
 veluti in acie circumpositi intentique ora socio tenent,
 qui tamquam ludorum dux globum pugnantium ordinat,
 atque rerum initium secernit. Qui animorum ardor! Quae
 victoriae spes in frontibus emicat! Hinc inde stant
 pugnaturi.

Ludum, ad quem mox omnes convenient, romano-
 rum sermone adpellabis: *Pilam venenatam.* Nomen
 enim huic certamini ex eo factum est, quod vix aliquis
 pila vel leviter tangatur, veluti mortifero vulnere per-
 culsus, inter mortuos illico adnumeratur, atque a pu-
 gnantium numero abstrahitur. Potest utique adhuc qui
 secum luctantur adiuvare, potest impedire ne adversarii
 pilam in suos emitant, sed ipse tamquam praelio ce-
 ciderit, extra castra eiicitur. Duae acies adsunt: altera,
 albo signata panniculo, manu pilam iactabit: altera vul-
 nus evitare parata.

Sed quae omnium contentio, qui clamor, quae pe-
 dum corporumque commotio! Hic ut pilam recte fiden-
 tique manu emittat, ille ut studiose ictum repellat!

Verum cur sistunt? Quid dicam? « Ludus enim ge-
 nuit trepidum certamen et iras! » Litis acerrima exorta
 est, animosque hinc inde vocesque acuit. Adsunt et
 ludi iudices, quibus erunt hae artes, pacis componere
 morem et solemniter in dubiis decernere qui vitor sit,

(1) Paulo minora canamus! Ille ego, qui nuper de certamine artium
 plurima descripsi, quod Augustae Taurinorum gloriose est celebratum,
 nunc paucula dicere nitar de ludicris certaminibus, quae pueruli nostri
 identidem, animi causa, agere conueverunt. Post tot rerum solemnia,
 quis haec humilia dicere vetabit?

qui recte se gesserit, qui vero male. Horum sententia est absoluta, a qua appellari non potest. Pila enim iacta adversarium percussit an non? Tetigit ne manus, an caput? Quod quidem esset contra ludorum morem. Hinc maxima omnium cura, studiorumque, ut pilam recte emittant, et manibus eam advolantem arripiant iterumque eiiciant... Omnes vero student, nituntur, ut pilam evitent, ictumque declinent: qui enim percutere debent, vel qui pilam habere cupiunt ut percutiant, vocibus altissimis eam a suis postulant; hic currit quo propior sit adversariis, sive eos facilius percutiat; ille longius se confert; itaque adversariorum artem elidunt.

Interea unus caeditur et alter, mox tres vel quatuor. Tunc ferocius undique litis integratur... Omnis terrae locus, in quo certamen istud includitur, pedibus pulsatur, modo hie, modo illic globus luctantium celerrime confertur, mox alii alio velocissime dilabuntur. Quum vero pene omnes vulnerati sunt, ad superstitem socium salvandum undique solliciti convenient.

Haud aliter atque apes quae regem moritum tueruntur:

*circumstant fremitu denso, stipantque frequentes,
... pulcramque petunt per vulnera mortem...*

sie ad ultimum hunc socium festinantes adcurrunt, sepiunt, corpore paene suo contingunt, ne eum adversarii fatali pila saucient. Quod quum factum fuerit, victores manus vocesque ad sidera tollunt, ac victoriam (si studiose res acta fuerit atque ingeniose) plausu adstantium adclamat.

SUBALPINUS.

COLLOQUIA LATINA

Varia petitur facultas egrediendi schola. (1)

GUSTAVUS. — Licetne, praceptor, ut ego et patruelis meus eamus domum?

PRAECEPTOR. — Quid eo?

G. — Ut obviam occurramus patri meo Lutetia reddituro sub vesperam.

P. — Sed citius est.

G. — Mater domi nos opperitur ad hanc horam.

P. — Ipsa etiam procedet obviam?

G. — Ipsa etiam et universa familia. Famuli prae-current pedites. Mater nobiscum et sororibus rheda vehetur.

P. — Abi: sit iter felix atque commodum.

G. — Commodum ut sit subvereor.

P. — Quamobrem?

G. — Quia schola exeo onustus.....

P. — Qua sarcina?

G. — Argumento scriptio[n]is eras reddenda. O si hoc onere me levaveris!

P. — Quid polliceris mihi?

G. — Futurum ut sarciam hanc iacturam dupla deinde diligentia.

P. — Per me licet; sed videris mihi fidem serves.

G. — Liberabo apud te fidem meam.

MICHAEL. — Placetne, magister, mihi facere potestatem egrediendi schola?

P. — Quid causae est?

M. — Rure in urbem venit mater mea; condixit locum et tempus quo eam convenientiam.

P. — Quid istud opus est?

M. — Ut mater emat mihi libros aliquot necessarios. Raro in urbem venit; occupanda est mihi occasio.

P. — Adfer mihi a matre testimonium in crastin diem.

M. — Curabo; numquid aliud vis?

P. — Ut meis verbis officiose matrem salutes.

HIERONYMUS. — Hora decima fiet sacrum funebre anniversarium pro avo meo. Iussit me pater interesse; placetne tibi, praceptor, ut eam? Iam imminent tempus.

P. — Quamnam in aedem sacram iturus es?

H. — Ad Sancti Nicolai.

P. — Properato opus est; abi.

IACOBUS. — Licetne ut adeam ianitorem collegii?

P. — Quid tibi cum illo negotii?

I. — Apud eum reliqui heri chartam et calamos.

P. — Cur accedens hoc mane non resumpsisti?

I. — E memoria res exciderat.

P. — Venisti igitur ad bellum miles sine armis.

I. — Ignosce mihi...

P. — Curras igitur. At prospicias in posterum quibus rebus omnibus opus sit ante scholae initium.

I. — Illie sum et hic sum.

LUDOVICUS. — Magister, emitto sanguinem e naribus: placetne exam schola?

P. — Exi et lava ad proximum fontem aut antliam.

P. — Iam admoniti estis, discipuli, de adeundo hodie templo. Colligite vasa et ad sacrum vos comparete.

IGNATIUS. — Peto ut ante alios conferre me possim domum una cum fratre natu minore.

P. — Ut quid?

I. — Quia sacrificio iam ambo inservientes adfui-
mus, et frigore totus rigeo. Insuper procul hinc habita-
mus: vix domi ad horam licebit, contra, interquie-
scere et ad scholam iterum expetendum est.

P. — Iam vos missos faciam hac lege, ut pomeri-
dianas praelectiones firmius imprimatis memoriae.

I. — Callebimus ad unguem. Vale.

(1) Ex dialogorum libro ANTONII VAN-TORRE passim retractavit I. F.

De Sanctis Magis nonnulla

De Magis, qui Iesu Christi incunabula veneraturi Bethleem venerunt, plura erudit sciscentur: qui fuerint, unde venerint, quot fuerint, quo tempore Ierosolymam accesserint, et quid de sidere quod illis apparuit; nosque non semel in *Voce Urbis* huiusmodi quaestiones delibavimus. Philosophi, et Divini atque Astronomiae periti vulgo creduntur; additum etiam, Balaam auctorem generis et praecoptorem habuisse, a quo pluribus ante saeculis oraculum pronunciatum (1): « Orietur stella ex Iacob, et consurget virga de Israel, et pereutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth », sive « filios superbiae ». Huic opinioni favere videntur Scripturae verba, quibus Magi ex Oriente venisse perhibentur (2), quum Orientis nomine non raro apud sacros auctores Arabia deserta sive Mesopotamia significetur. Hinc Balaam de se ipso testatur, venisse de Aram - de montibus Orientis - (3), quum tamen ex Pethora, urbe ad Euphratrem, venisset. (4)

Arabes, Idumaei et Chaldaeи populi Iudeis orientales sapientiam affectabant (5); hinc apud illos nomen Magi philosophis et sapientibus vulgo tributum. Tertullianus (6), S. Iustinus martyr (7), S. Epiphanius (8) aliquae plures huic opinioni suo suffragio accedentes, trans Euphratrem, sive e Mesopotamia, ut verbo dicamus, ex Oriente Iudeae, sanctos Magos arcessunt; neque nostrum est eorum sententiam refutare, qui e Perside, Armenia, Aethiopia, vel tandem e tribus orbis partibus - Asia, Africa et Europa - illos repetunt.

Nonnulli autem ex veteribus Patribus credidisse videntur Magos hosce tres fuisse, regnoque in sua singulos regione potitos; in iisque adnumerandus etiam

Tertullianus; putat enim (1) apud Orientales regnum Magis deferri consueuisse; quo nihil incertius. S. Ambrosius (2), seu S. Caesarius Arelatensis, regium illis nomen attribuit, sed vox illa « regis » in textum irrepisse creditur. Eiusdem rei assertorem laudant etiam S. Cyprianum in sermone *de Baptismo*; sed huius scripti auctorem Arnaldum, Abbatem Bonaevallis, qui aetate S. Bernardi vixit, fuisse constat. Paschasius Radbertus,



Benvenuti Fisci tabula Magorum adorationem referens.

qui in monasterio Corbeiensi saec. ix floruit, rem esse exploratam in historiis ethnicorum tradit, quod Magi regnum obtinuissent. Inter Graecos Theophylactus (3) se eiusdem opinionis esse testatur.

Haec apud veteres luculentissima testimonia occurunt; cetera quae afferri solent nec liquida satis, nec expressa sunt; recentiorum autem auctoritas parvi est ad rem momenti.

(1) *Contra Iudeos*, I. III contra Marcion.

(2) *Serm.* 139 in Appen. V tom. S. August. nov. edit.

(3) *In Matth.*, II.

(1) Num. XXIV, 17 — An. a. C. 1447. (?)

(2) Matth. II, 1.

(3) Num. XXX, 7.

(4) Num. XXIV, 5. - Cfr. Eus. in locis Padura. De adventu Abrahami in « Terram promissionis » agens, ISAIAS (XL, 2) ait: « Quis suscitavit ab Oriente Iustum? ».

(5) Cfr. III Reg. IV, 30; HIEREM. XLIX, 7; ABDIAS V, 8.

(6) *Contr. Iud.*, I. III contra Marcion.

(7) *Dialog. contra Tryph.*

(8) *Epit. Fidei Cath.*

Quae huic sententiae recipienda contulisse videntur, verba sunt Psalmi LXXI sanetis Magis accommodata: «Reges Tharsis et insulae munera offerent; reges Arabum et Saba dona adducent»; iisque accessisse a priscis usque temporibus ingenuae artes apparent, quae nunquam non Magos repraesentarunt regum more ornatos; prout etiam videre est in tabula, quam lectorum oculis hodie subiicimus, a Benvenuto Fisci, vulgo *il Garofolo*, Raphaelis Sanctii discipulo clarissimo, pietam, et in Romana pinacotheca Burghesiana hodie adservatam.

ACTA PONTIFICIA

I.

CONSTITUTIO APOSTOLICA

de nova psalterii in breviario romano dispositione.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Divino afflato compositos Psalmos, quorum est in sacris litteris collectio, inde ab Ecclesiae exordiis non modo mirifice valuisse constat ad fovendam fidelium pietatem, qui offerebant *hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confidentium nomini eius*; (1) verum etiam ex more iam in vetere Lege recepto in ipsa sacra Liturgia divinoque Officio conspicuam habuisse partem. Hinc illa, quam dicit Basilius, nata *Ecclesiae vox*, (2) atque psalmodia, eius *hymnodiae filia*, ut a decessore Nostro Urbano VIII appellatur, (3) *quae canitur assidue ante sedem Dei et Agni*, quaeque homines, in primis divino cultui addictos docet, ex Athanasii sententia, *qua ratione Deum laudare oporteat quibusque verbis decenter confiteantur*. (4) Pulchre ad rem Augustinus: *Ut bene ab homine laudetur Deus, laudavit se ipse Deus; et quia dignatus est laudare se, ideo invenit homo, quem admodum laudet eum.* (5)

Accedit quod in Psalmis mirabilis quaedam vis inest ad excitanda in animis omnium studia virtutum. Etsi enim *omnis nostra Scriptura, cum vetus tum nova, divinitus inspirata utilisque ad doctrinam est, ut scriptum habetur;... at Psalmorum liber, quasi paradisus omnium reliquorum (librorum fructus) in se continens, cantus edit, et proprios insuper cum ipsis inter psallendum exhibet*. Haec iterum Athanasius, (6) qui recte ibidem addit: *Mihi quidem videtur, psallenti Psalmos esse instar speculi, ut et seipsum et proprii*

animi motus in ipsis compleetur, atque ita affectus eos recilet. (1) Itaque Augustinus in Confessionibus: *Quantum, inquit, flevi in hymnis et canticis tuis suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter! Voces illae influebant auribus meis et eliquabatur veritas in cor meum et exaestuabat inde affectus pietatis et currebant lacrimae et bene mihi erat cum eis.* (2) Etenim, quem non moveant frequentes illi Psalmorum loci, in quibus de immensa maiestate Dei, de omnipotencia, de inenarrabili iustitia, aut bonitate, aut clementia, de ceterisque infinitis laudibus eius tam alte praedicatur? Cui non similes sensus inspirent illae pro acceptis a Deo beneficiis gratiarum actiones, aut pro expectatis humiles fidentesque preces, aut illi de peccatis clamores poenitentis animae? Quem non admiratione psaltes perfundat, cum divinae benignitatis munera in populum Israel atque in omne hominum genus profecta narrat, cumque caelestis sapientiae dogmata tradit? Quem denique non amore inflammet adumbrata studiose imago Christi Redemptoris, cuius quidem Augustinus (3) *vocem in omnibus Psalmis vel psallentem, vel gementem, vel laetantem in spe, vel suspirantem in re audiebat?*

Iure igitur optimo provisum est antiquitus, et per decreta Romanorum Pontificum, et per canones Conciliorum, et per monasticas leges, ut homines ex utroque clero integrum Psalterium per singulas hebdomadas concinerent vel recitarent. Atque hanc quidem legem a patribus traditam decessores Nostris S. Pius V, Clemens VIII, Urbanus VIII in recognoscendo Breviario Romano sancte servarunt. Unde etiam nunc Psalterium intra unius hebdomadae spatium recitandum foret integrum, nisi mutata rerum condicione talis recitatio frequenter impediiretur.

Etenim procedente tempore continenter crevit inter fideles eorum hominum numerus, quos Ecclesia, mortali vita defunctos, caelicolis accensere et populo christiano patronos et vivendi duces consuevit proponere. In ipsorum vero honorem Officia de Sanctis sensim propagari coeperunt, unde fere factum est, ut de Dominicis diebus deque Feriis Officia silerent ideoque non pauci neglegerentur Psalmi, qui sunt tamen, non secus ac ceteri, ut Ambrosius ait, (4) *benedictio populi, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium, sermo universorum, vox Ecclesiae, fidei canora confessio, auctoritatis plena devotio, libertatis laetitia, clamor iucunditatis, laetitiae resultatio*. De huiusmodi autem omissione non semel graves fuerunt prudentum piorumque virorum querimoniae, quod non modo

(1) *Hebr. 13, 15.* — (2) *Homil. in Ps. 1, n. 2.* — (3) *Bulla «Divinam Psalmiodiam».* — (4) *Epist. ad Marcellinum in interpret. Psalmor. n. 10.*

— (5) *In Psalm. 144, n. 1.* — (6) *Epist. ad Marcell. cit. n. 2.*

(1) *Op. cit. n. 12.* — (9) *Lib. IX, cap. 6.* — (3) *In Ps. 42, n. 1.* — (4) *Enarrat. in Ps. 1, n. 9.*

hominibus sacri ordinis tot subtraherentur praesidia ad laudandum Dominum et ad intimos animi sensus ei significandos aptissima, sed etiam quod optabilis illa in orando varietas desideraretur, ad digne, attente, devote precandum imbecillitati nostrae quam maxime opportuna. Nam, ut Basilius habet, *in aequalitate torpescit saepe, nescio quomodo, animus atque praesens absens est: mutatis vero et variatis psalmodia et cantu per singulas horas, renovatur eius desiderium et attentio instauratur.* (1)

Minime igitur mirum, quod complures e diversis orbis partibus sacrorum Antistites sua in hanc rem vota ad Apostolicam Sedem detulerunt, maximeque in Concilio Vaticano, cum hoc inter cetera postularunt, ut, quoad posset, revocaretur consuetudo vetus recitandi per hebdomadam totum Psalterium, ita tamen ut clero, in sacri ministerii vinea ob imminutum operariorum numerum iam gravius laboranti, non maius imponeretur onus. Hisce vero postulationibus et votis quae Nostra quoque ante susceptum Pontificatum fuerant, itemque precibus, quae deinceps ab aliis Venerabilibus Fratribus piisque viris admotae sunt, Nos equidem concedendum duximus, cauto tamen, ne recitatione integri Psalterii hebdomadae spatio conclusa, ex una parte quicquam de Sanctorum cultu decederet, neve ex altera molestius Divini Officii onus clericis, immo temperatus evaderet. Quapropter implorato suppliciter *Patre luminum*, corrogatisque in id ipsum suffragiis sanctorum precum, Nos vestigiis insistentesdecessorum Nostrorum, aliquot viros delegimus doctos et industrios, quibus commisimus, ut consiliis studiisque collatis certam aliquam reperirent rei efficiendae rationem, quae Nostris optatis responderet. Ilii autem commissum sibi munus e sententia exsequentes novam Psalterii dispositionem elaborarunt; quam cum S. R. E. Cardinales sacris ritibus cognoscendis praepositi diligenter consideratam probassent, Nos, utpote cum mente Nostra admodum congruentem, ratam habuimus in rebus omnibus, id est, quod ad ordinem ac partitionem Psalmorum, ad Antiphonas, ad Versiculos, ad Hymnos attinet cum suis Rubricis et Regulis, eiusque editionem authenticam in Nostra typographia Vaticana adornari et indidem evulgari iussimus.

Quoniam vero Psalterii dispositio intimam quamdam habet cum omni Divino Officio et Liturgia coniunctionem, nemo non videt, per ea, quae hic a Nobis decreta sunt, primum Nos fecisse gradum ad Romani Breviarii et Missalis emendationem: sed super tali causa proprium mox Consilium seu Commissionem, ut aiunt, eruditorum constituemus. terim, opportunatatem hanc nacti nonnulla iam

in praesenti instauranda censuimus, prout in appositis Rubricis praescribitur: atque imprimis quidem ut in recitando Divino Officio Lectionibus statutis sacrae Scripturae cum Responsoriis de tempore occurrentibus debitus honor frequentiore usu restitueretur; dein vero ut in sacra Liturgia Missae antiquissimae de Dominicis infra annum et de Feriis, praesertim quadragesimalibus, locum suum recuperarent.

Itaque, harum auctoritate litterarum, ante omnia Psalterii ordinem, qualis in Breviario Romano hodie est, abolemus eiusque usum, inde a Kalendis Ianuariis anni millesimi nongentesimi decimi tertii, omnino interdicimus. Ex illo autem die in omnibus ecclesiis Cleri saecularis et regularis, in monasteriis, ordinibus, congregationibus, institutisque religiosorum ab omnibus et singulis, qui ex officio aut ex consuetudine Horas canonicas iuxta Breviarium Romanum, a S. Pio V editum et a Clemente VIII, Urbano VIII, Leone XIII recognitum, persolvunt, novum Psalterii ordinem, qualem Nos cum suis Regulis et Rubricis approbavimus typisque Vaticanis vulgandum decrevimus, religiose observari iubemus. Simul vero poenas in iure statutas iis denuntiamus, qui suo officio persolvendi quotidie Horas canonicas defuerint; qui quidem sciant se tam gravi non satisfacturos officio, nisi Nostrum hunc Psalterii ordinem adhibeant.

Omnibus igitur Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus ceterisque ecclesiarum Praelatis, ne Cardinalibus quidem Archipresbyteris patriarchalium Urbis basilicarum exceptis, mandamus, ut in sua quisque dioecesi, ecclesia vel coenobio Psalterium cum Regulis et Rubricis, quemadmodum a Nobis dispositum est, constituto tempore inducendum current: quod Psalterium quasque Regulas et Rubricas etiam a ceteris omnibus, quoscumque obligatio tenet recitandi vel concinendi Horas canonicas, inviolate adhiberi ac servari praecipimus. Interim autem cuilibet et capitulis ipsis, modo id maior capituli pars sibi placere ostenderit, novum Psalterii ordinem, statim post eius editionem, rite usurpare licebit.

Haec vero edicimus, declaramus, sancimus, decernentes has Nostras litteras validas et efficaces semper esse ac fore; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, generalibus et specialibus, ceterisve quibusvis in contrarium facientibus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae abolitionis, revocationis, permissionis, iussionis, praecepti, statuti, indulti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarna-

(1) Regulae fusi tractatae, interrog. 37, n. 5.

tionis Dominicae millesimo nongentesimo undecimo; Kalendis Novembribus, in festo Sanctorum omnium, Pontificatus Nostri anno nono.

A. Cardinalis AGLIARDI

S. R. E. Cancellarius.

Fr. Séb. Cardinalis MARTINELLI
S. R. C. Praefectus.

Loco + Plumbi

VISA

M. Riggi C. A., Not.

Reg. in Canc. Ap. N. 571.

(Rubricas in recitatione divini officii et in Missarum celebratione servandas ad normam Constitutionis « Divino afflatu » in proximo numero referemus.)

II.

MOTU PROPRIO

de trahentibus clericos ad tribunalia iudicium laicorum.

Quantavis diligentia adhibeatur in condendis legibus, saepe non licet dubitationem praecaveri omnem, quae deinceps ex earum callida interpretatione queat exsistere. Aliquando autem iurisperitorum, qui ad rimandam naturam vimque legis accesserint, tam diversae inter se sunt sententiae, ut quid sit lege constitutum, non aliter constare, nisi per authenticam declarationem, possit.

Id quod videmus contigisse, postquam Constitutio Apostolicae Sedis promulgata est, qua Censurae latae sententiae limitantur. Etenim inter scriptores, qui in eam Constitutionem commentaria confecerunt, magna orta est de ipsius capite VII controversia; utrum verbo *Cogentes* legislatores personaeque publicae tantummodo, an etiam homines privati significantur, qui iudicem laicum, ad eum provocando actionemve instituendo, cogant, ut ad suum tribunal clericum trahat.

Quid valeret quidem hoc caput, semel atque iterum Congregatio Sancti Officii declaravit. — Nunc vero in hac temporum iniquitate, quum ecclesiasticae immunitatis adeo nulla solet haberi ratio, ut non modo Clerici et Presbyteri, sed Episcopi etiam ipsique S. R. E. Cardinales in iudicium laicorum ducantur, omnino res postulat a Nobis, ut quos a tam sacrilego facinore non deterret culpae gravitas, eosdem poenae severitate in officio continemus. Itaque hoc Nos Motu Proprio statuimus atque edicimus: quicumque privatorum, laici sacrifice ordinis, mares feminaeve, personas quasvis ecclesiasticas, sive in criminali causa sive in civili, nullo potestatis ecclesiasticae permisso, ad tribunal laicorum vocent, ibique adesse publice compellant, eos etiam omnes in excommunicationem latae sententiae speciali modo Romani Pontifici reservatam incurrere.

Quod autem his litteris sancitum est, firmum ratumque esse volumus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die ix mensis Octobris MCMXI, Pontificatus Nostri anno nono.

PIUS PP. X.



EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Consistoriali.

Declaratio circa facultatem dispensandi presbyteros ab irregularitate.

Proposito dubio « utrum, vi decisionis huius S. Congregationis Consistorialis diei 27 Februarii 1909, facultas concedendi presbyteris dispensationem ab irregularitate, sive haec oriatur ex delicto, sive ex defectu, spectet ad S. Congregationem de Sacramentis, an potius ad S. Congregationem Concilii »; SSmus. D. N. Pius PP. X, attentis votis tum a Secretis utriusque Congregationis de Sacramentis et Concilii, tum huius S. Congregationis Consultorum, mandavit ut responderetur: « dispensationem ex defectu reservari ad S. Congregationem de Sacramentis; ex delicto autem ad S. Congregationem Concilii ». (Ex deer. d. xxviii Novembr. an. MCMXI).

Ex Congregatione Rituum.

Dubia circa festum Commemorationis solemnis SSmi. Corporis D. N. I. C.

I. — Utrum adveniente festo Commemorationis solemnis Sanctissimi Corporis D. N. I. C., continuari adhuc debeant octavae inchoatae, et an sua octava gaudeat festum aliquod duplex primae classis intra hanc octavam privilegiatam occurrens?

Resp. — Affirmative ad utrumque.

II. — An dies octava praefatae Commemorationis solemnis Sanctissimis Corporis D. N. I. C. excludat duplia prima classis occurrentia?

Resp. — Affirmative, excepto festo SS. Apostolorum Petri et Pauli. (Ex decr. d. xvii mens. Novemb. MCMXI).

Dubia varia.

I. — Celebrans et ministri, qui in Missa solemnii diei festi Annuntiationis B. M. V. nec non SS. Natalis D. N. I. C. genuflectunt quando a choro cantantur verba: « Et incarnatus est » etc., genuflectere ne debent etiam quando eadem verba simul recitant ad altare?

Resp. — Affirmative.

II. — In vigilia Festi alicuius Sancti, cuius nomen continetur in Canone Missae, celebrans debet ne caput inclinare quum idem nomen pronuntiat?

Resp. — Affirmative iuxta Rubricas Missalis de Ritu celebrandi Missam tit. V, n. 2.

III. — Festum S. Stephani Pp. M. insignis Collegiae Titularis, in tota Civitate Rodigii iamdiu celebrari solet sub rito duplici I classis cum octava. Quae illud utrum in tota eadem civitate « Credo » in Missa a recitari possit ac debeat.

Resp. — Negative et servetur Decretum n. 2189 *in iherusina*, 23 Martii 1709. (Ex deer. d. xxiv mens. a Novemb. MCMXI).

Ex Secretaria Status.

Declaratio authentica circa indultum de abstinentia et ieunio pro America Latina per Secretariam Status editum die I mens. Ianuarii MCMXI.

Circa Indultum de abstinentia et ieunio pro America Latina, per Secretariam Status editum die I Ianuarii 1910, ea quae sequuntur dubia revmus. Vicarius Apostolicus Guyanae Britannicae humiliter Sanctae Sedis dirimenda proposuit :

I. — Utrum Nigritae et Indi, qui privilegiis gaudentes per Constitutionem Leonis f. r. PP. XIII « Trans oceanum » concessis, ieunare tenentur solummodo feriis sextis quadragesimae, Sabbato Sancto et in peregrinatio Nativitatis Domini, vi praefati indulti a ieunio eximantur etiam Sabbato Sancto et in peregrinatio Nativitatis D. N. I. C. ?

II. — Utrum diebus, quibus hoc indulto frui licet, firma maneat prohibitio miscendi carnes et pisces ?

III. — Quatenus affirmative ad II., utrum haec prohibitio etiam Nigritas et Indos respiciat ?

SSimus. D. N. Pius PP. X, referente Cardinali a Secretis Status, die XIII mens. Decembris MCMXI, respondendum decrevit :

Ad I. — Sufficenter pro visum per art. XIII Constitutionis « Trans oceanum » diei XVIII mens. Apr. MDCCCXCVII, ideoque ambo privilegia seu indulta cumulari posse.

Ad II. — Affirmative, nisi obtineatur speciale indultum apostolicum.

Ad III. — Affirmative ut in II.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Decembri MCMXI).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiuvaverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem : Manus catholicorum ex dioecesis Westmonasteriensis, Neo-Eboracensi, Parisiensi ad grates Pontifici agendas ob episcopos suos sacra Purpura honestatos ; Thomas Iosephus Shahan, rector catholici athenaei Washingtonensis ; Carolus Badeni, Comes, a secretis Austrorum legationis apud Belgas ; Cracoviensis municipii legati qui Romam advenerunt ut novi episcopi sui Adam Sapieha consecrationi, ab ipso Pontifice peractae, adstant ; Pontifica commissio ad Breviarii Romani reformationem delecta, a r. p. d. Petro La-

fontaine, episcopo tit. Charistien., eius preside, coram adducta ; De Pimodan, Comes ; Blumenstil, Comes ; Armandus Nisard, Gallicae quondam legationi praepositus apud Apostolicam Sedem ; Carolus Giustiniani Bandini, Montis Draconis Dux ; Gustavus Sardi, Marchio ; Sacer Purpuratorum Senatus, Legati omnes exterarum nationum, Pontificiaeque Domus antistites et aulici omnia in novum annum SSmo. offerentes.

Pontificiae electiones.

— Decreto S. Congregationis de Propaganda Fide r. p. Iulius Moury e Seminario Lugdunensi pro Missionibus Africae, episcopus tit. Ariassen. et Vicarius Littoris Eburnei nominatus est.

— R. p. d. Franciscus Maturinus Guichard, episcopus tit. Toronen., inter episcopos Pontificio Solio adstantes recentes.

— R. p. d. Carolus Algernon Stanley, episcopus tit. Emmanusien., et r. d. Carolus Perosi inter Consultores adleguntur S. Congregationis Consistorialis.

— R. d. Orestes Giorgi a secretis S. Congregationis Concilii ; et r. d. Carolus Perosi Summi Magistri criminibus expiandis adiutor a rescriptis dicuntur.

Varia.

Die XVII mens. Decembris MCMXI SS. D. N. Pius PP. X in Xystino sacello emum. p. d. Caietanum De Lai, Sabinorum episcopum ; r. p. Pium de Langogne, archiepiscopum tit. Corinthium ; et Adam Sapieha episcopum Cracoviensem sollemni ritu consecrat.

ANNALES

Annus MCMXI

Qui annus hisce diebus praeterit, gravibus eventibus peculiaribusque notis insignis evasit.

Post tria decennia, — ex quo scilicet inter Russos ac Turcas dimicatum est, — quod nunc cum ipsis Turcis bellum Itali gerunt, primum certamen est magnarum in Europa civitatum, licet extra Europam certisque finibus pugnetur. Ceterum alia quoque nationum Europaeorum negotia extra Europam agitantur, ut Mauritana res, Persicae quaestiones et ipsa quae adhuc perdurat rebellio ad Sinense imperium evertendum. Quibus ex rebus facile apparet, Europae politica commoda magis magisque in dies ad sese inter varias orbis regiones diffundendum tendere, indeque effici talem rationum contextum, ut latae conflagrations possibles forent, nisi in periculo ipso potens frenum pro pace constitueretur.

Hac de causa anno MCMXI et devitatas vidimus periculorum plenas decertationes, (quarum praesertim illam commemorabimus quae oritura videbatur inter Anglos et Germanos circa Mauritani problematis resolutiones), et Italianam audivimus sponte profitentem militarem actionem suam certis limitibus iri circumscriptum, ne « status quo » in Balkanicis regionibus perturbaretur, atque, si egerit ne-

cessitate, quam vitare non potuisset, impulsam, se tamen curaturam ut belli consecaria quam maxime coangustarentur.

Cuius quidem belli vices Italies favorabiles omnino maient, qui ultra procedentes, hinc ad Lebdae ruinas; inde, post Ain-Zara strenue atque impavide captam; ad desertorum limina pervenerunt; sequentibus operibus munitionibusque circumductis sepserunt.

Mauritanæ res proclinati videbantur, quum Galli ad Fez urbem expedito exercitu profecti sunt, Hispani Larrache atque El Ksar loca occuparunt, ac Germani *Panther* bellicam navem ad Agadir portum miserunt. Sequutae sunt inter Germanos et Gallos, (quibus Angli faverunt), negotiationes; pluribusque difficultatibus, iisque non parvi momenti, hinc inde superatis, ad pactionem illam ventum est, de qua alias mentionem fecimus; quaeque a ceteris Europæ nationibus rata habita, nunc Galici Senatus supremam sanctionem exspectat.

Alia quaestio, quae, ut supra diximus, tamquam «internationalis» consideranda est, Persidis imperium respicit; idque tum ob praecedentes conventiones pactas inter Anglos, Russos et Germanos, tum quod, veluti proximum, Turcarum imperium in ea et ipsum quodammodo implicitur. Controversia, inter Russiam et Persidem exorta, Russorum arma in hanc regionem adduxit, at, iuxta testificationes, praesertim Anglicas, modus aliquis brevi invenietur, quo, specie saltem, Persici Caesaris primatus servetur.

Sinenses cruenti motus, quamquam, si apparentem eorum finem respexeris regiam domum solo detrudendi, in imperii finibus contineri putaveris, revera in alias nationes repercuti poterunt, in Iaponiam præ omnibus et Angliam; quae, si necessitas postulaverit, nihil profecto omittent, ut quaestioni «internationalem» notam attribuant; quemadmodum aliis etiam in casibus per elapsum annum obortis occurrit, uti tractationibus inter Hispaniam et Galliam de Mauritania, commercii foederi inter Russiam et Septentrionalis Americae Foederatas Civitates dirempto; itemque novis pactionibus a Russia cum Iaponia initis de ultimo Oriente; certis denique legibus a Foederatis Septentrionalis Americae Civitatibus, a Gallia et Anglia inter se constitutis de arbitris adeundis.

In quibus omnibus tamen — et in quaestione etiam Cretensi, quae nihil obstante impatienti ci-vium sollicitudine immutata permansit — quum civilis rationis animus in universum paci confidit, sperandum est et oriente hoc anno ab hac fide ipsum non recessurum.

PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Anglia** novae latae ab administris testificiones de amicitia cum Germania deque consensu cum Russico Imperio de huius iuribus tutandis in Perside; deinde coetus sessio conclusa.

In **Austria** rationes acceptorum et expensarum pro tempore approbatae.

In **Gallia** quamquam de conventionibus cum Germania circa Mauritiam acriter est disceptatum, suffragia tamen favorabilia administroruin collegio late cesserunt: In Senatu lata lex de operariorum pensionibus reformandis.

In **Germania** post declaratas ab Imperii Cancellario pactiones cum Gallia de Mauritania, et confirmata amicitiae vincula cum Anglis, publicus coetus dimissus, novaque comitia ad mensem Ianuarium indicta.

In **Lusitania** rogatio legis oblata de classi renovanda.

In **Russia**, frustra obsistentibus Polonis, lata lex de nova Polonae provinciae partitione circa eius administrationem.

In **Turcarum imperio** rogatio legis a Said, supremo administro, oblata ad Imperii constitutionem ita reformandam, ut liceat Caesari, quum voluerit, publicum legatorum coetum per decretum dimittere, in tantas difficultates incurrit, ut administrorum collegiumonne se munere abdicaverit.

PER ORBEM

Die III mens. Decembris MCMXI, Camberii, vetustum episcoporum palatium, recens inter historica Galliae monumenta adnumeratum, fortuito incendio absunitur.

— d. VII novae aviationis victimæ in Anglia lugentur, Oxlei et Weiss.

— d. VIII Anglorum rex et regina Delhi in Indis pervenient, immensa hominum multitudine ovante ac gratulante.

— d. XI Lutetiae Parisiorum Robertus Fleury, et Londini Alfonsus Legros, pictores præclarí, supremum obeunt diem.

— d. X in Atlantico Oceano atra procella fuit magna tum navium, tum litorum iactura.

— d. XII Stocolmae solemnri ritu Nöbelia præmia huius anni addicuntur: pro physice Guilelmo Wien, Bavaro doctori, ob leges de caloris radicatione ab eo traditas; pro chemice dominae Curie ob inventa «radium» ac «polonium»; pro medica arte Upsalensi doctori Guesstrand ob eius studia circa oculi dioptricam; pro litteris Mauritijs Maeterlink,

— d. XII Hispanica regia domus nova principe
Iuemina hodie nata augetur.

— d. XIII Georgius V, Anglorum rex, Delhi,
in nova Indorum urbe capite, Indiarum Imperator
sollemni apparatu renunciatur.

— d. XIV Anglicā vectořia nāvis *Delhi*, aequō-
ribus vento increscentib⁹, in syrtēs prōmontorii
Spartel offendit. Viatores, inter quos de Fifē Dūces
e regali Anglorum genere, sospites evadunt; nau-
tae vero nonnulli, tum Angli, tum Galli auxilio
venientes, undis submersuntur.

— d. XXIII Lutetiae Parisiōrum vita fungitur
Lannelongue, medicinæ doctōr insignis; et Barci-
llone, vix quinquaginta annos natus, Ioannes Ma-
fragal, Catalauniae poeta clarissimus.

Horribiles nimbi a Freto Britannico per Gal-
liam ad Mediterraneum mare ingentia damna ap-
portant.

— d. XXVI Paulus Mariéton, Narbonensis Gal-
liae criticus atque historicus, praesertim ob Arau-
siense theatrum refectum de patria sua optime
meritus, Nicaeae ad Varum obit. Natus erat Lug-
duni, d. XIV mens. Octobris MDCCCLXII.

Genuae repente morbo corripitur Eduardus
Pulciano, illius metropolitanae ecclesiae episcopus,
nobili genere Augustae Taurinorum natus d. XVIII
Novembris MDCCCLII.

— d. XXX exploratrix bellica Italorum nāvis
Nino Bixio, Stabiae, feliciter in mare immittitur.

— d. XXXI, Genuae, ingenuarum artium aedes
ob aerium ignem dispersum et fortuito incensum
valde pessundantur.

LOCI

Infirma promissio.

Aes mihi post redditum promittis, stulte, daturum,
Pro reditu sponde sed, Fabiane, tuo.

Superbissimus.

Aegre, Commode, ferre ais superbos
Et longe cupis, arguisque semper;
Sed tu non patiens, reor, superbos,
Horum maximus omnibus patescis.
Nam tu non vitium arguis, sed optas
Te nemo ut supereret, tibi vel obstet.

Locupletatus.

Sollicitae demum vicisti incommoda vitae
Centum lucratus millia bis quatuor.
Haud satis ista, quibus stertas vigilesque beatus,
Ut vitae vineas fata, Cyrille, manet.

Eques avarus.

Non equitem factum te olim gestabat asellus,
Quem tibi proposuit, Pamphile, avarities;
Ecce quod ambieras, munus te exornat equestre,
Tunc dixi ambitui cessit avarities.

Temet sed contra exornatum munere equestri,
Me demirato, gestat asellus adhuc,
Haec quae iuxisti vītorum, Pamphile, dīcam,
Prōfecere ut ēquēs sis equitans asinum:

Magister et discipulus:

— Hodie mane pérículum in lingua graeca tibi minime
prospere cessit.

— Dic, quæsō, magister, in quō peccaverim.

— Anacréontem italicē loquunt̄m fecisti, instar tem-
lenti.

— Atqui servavi personam eius vino deditissimi.

— Ebriosus fertur fuisse ille quidem; tu vero ita exhibuisti, vix ut vestigio suo posset haerere.

AENIGMATA

I.

Sum verbum? Potero te compellare canentem.

Sum nomen? Fures a lare pello tuo.

II.

Fortis venator peragrabant devia saltus;

Nunc rutilum caeli sum decus astriferi.

Principium mutat divinitis filo poeta,

Quem delphin quondam fluctibus eripuit.

F. P.

**Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretatio-
nem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii
moderatorem (Rōma, via del Governo Vecchio, 96)
misericōnt intra menses duos, unus, sortitus, gratis
accipiet opus, cui titulus:**

VINCENTII LANFRANCHI
DE ORATORIBUS ROMANIS
ACROASIS

Aenigmata an. XIV, n. X proposita his respondent:

1) **S-picat**

2) **Sus-tinea-ritus.**

Ea rite soluta miserunt:

Lad. Lud. Podobinski, *Neo Sandecia*. — Dr. Modestus Ketyeh, *Koszeg*. — Aug. Sriban, *Iassis*. — Zowinski praep., *Zerkow*. — Lucius Rhaetus, *Bucarestino*. — Fr. Baturewicz, *Zyтомiria*. — Ad. Kozłowski, *Petricoria*. — P. C. Peltenburg, *Sosterwonde ad Lijgdunum Batavorum*. — Alois. Cappelli, *Senis*. — I. M. Meunier, *Corbinia*. — A. P. Gest, *Trentonio*. — Ioan. Galbiati; F. Arnori, *Mediolan*. — Lud. Kobierzycki, *Lvov*. — Am. Robert, *S. Joanne in Canada*. — St. Kempa, *Strosica*. — Ioan. Sismondo, *Casali Montisferrati*. — Petrus Tergestinus. — Rich. Brondel, *Brugis*. — Rich. Muller, *Berolino*. — Iac. Costa, *Dumio*. — F. Corea, *Emerita*. — Lud. Dubois, *Massilia*. — Frid. Horwath, *Vindobona*. — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone*. — Alf. Martinez, *Badaocio*. — Lud. Goux, *Bituricis*. — Ben. Savio; Barth. Ferraris, *Augusta Taurinorum*. — Alex. Pintauro; Vincentius Starace, *Neopoli*. — F. Ricci, *Florentia*. — A. Bounin, *Aureliano*. — P. Prado, *Venetiis*. — F. Guerra, *Aetio*. — Iac. Fernandez, *Mexico*. — Clem. Fiard, *Curia Rhetorum*. — Hern. Forgeot, *Nicaea ad Varum*. — R. Richi, *Traianopolis*. — F. X. M., *Drepano*. — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum*. — Eug. Dolmar; Mart. Dunne, *Nuo Eboraco*. — I. Ciolfi, *Papia*. — Nic. Lagumina, *Panormo*. — Iac. Cordara, *Parentio*. — I. Martins, *Philadelphia*. — Ant. Masia, *Tarragona*. — Alb. Catteau, *Lugduno*. — Alb. Kain; Ant. Whiteside, *Dublino*. — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio*. — Arch. Magliano, *Genua*. — Iac. Menendez, *Madrido*. — F. Ortiz, *Morelia*. — Raim. Silvan, *Londino*. — Nic. Endrigi, *Salisbury*. — Georg. Archambeault, *Quebeco*. — Fr. Salvatore, *Syracusis*. — St. Dantas, *Natal in Brasilia*.

Sortitus est praemium:

MARTINUS DUNNE,

ad quem missa est I. B. FRANCESIA comoedia latinis versibus scripta
cui titulus:

SATURIO

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Editricis Romanae,

EUPLIUS (14)

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

EUPLIUS.

Puer, qui ligneae pertentat cuspidis
Ictu columnam marmoris perfodere,
Vel ut quandam montes iunxit qui montibus
Tiphaeus vester perperam cum sociis,
Est ille Christum nititur qui perdere.
Amas si Caesarem, si vis imperium
Iure late duit devictis gentibus,
Fac ut christiana sancta relligio
Tradatur cunctis libere nationibus,
Colatur undique citra molestiam.
Et illud saeculum quod Saturnus tulit,
Beatos reddidit per orbem populos,
Redibit denuo! Furta, flagitia,
Cuneta quae turbant homines et opprimunt,
Disparent subito, quasi ex composito,
Una dominetur Christi si relligio!

CALVISONIANUS.

Satis sed iam datum tuis cantionibus.
Ad rem veni! Potin' es paucis dicere
Si Christum linques, libros si des Caesari?

EUPLIUS.

A me nimis gravem petis rem; denegem
Ut illi caelum fecit qui terras condidit,
Tradens cruci se se, necem asperam tulit....
Ad quid? Meam modo ut salvaret animam....
Nunquam ne abo!

CALVISONIANUS.

Ergo tu spensis Caesarem?

EUPLIUS.

Nequaquam!

CALVISONIANUS.

Caesar hanc sectam sequi prohibet!
Sequi sis ipsam, spensis manda a Caesaris!
Manent te probra, flagella, supplicium!...

EUPLIUS.

Omnia quae sufferam citra molestiam!
Ut utar dummodo Christo in caelestibus.

NONNULLI CIVES.

Oh! magnum virum!

ALII.

Pectus o fortissimum!

SCENA V.

VOLUSIUS et DICTI.

VOLUSIUS.

(*Ingreditur citato gradu, et magna voce Calvisiano loquitur.*)

Haec dies sacra Caesaris memoriae
Ne deturpetur sanguinis supplicio!
Calvisane, differ hanc sententiam...
Pectore fortassis cogitans in crastinum,
Hic mentem mutet! Diem ne macula,
Albo lapillo signandam, turpi crimine!
Quid in Christianos tu saevire autumas?
Obediunt cunctis Caesaris legibus...
Opem dant miseris, stipem pauperibus...
Suum sed adorant Numen prae ceteris.

Error quidem, fateor, nullis sed noxiis!
Suis cultoribus pondus est unice.
Da tempus, innova datum consilium.

CALVISONIANUS (*ad Euplium*).
Tuis in manibus stabit sententia.
Quod ante dixeras, bone Eupli, reproba!
Da gloriam Caesari, adora Numina!

EUPLIUS.

Tibi do gratias, Volusi, plurimas,
Mihi quod in rebus ni aris dubiis
Dare opem! Sed nihil prorsus optatus,
Crede, contigerit, vitam quam ponere
Pro Christi placitis, pro Christi nomine!
Cur tu, Volusi, clare tot virtutibus,
Ignoras admodum Christi sapientiam?
Nos laude tollimus Archimedis merita,
Quod ipse vitam posuit pro patria;
Nos vitam ponimus laeti pro fratribus,
Pro Christo; nobis fecit se victimam
Suoque seculum redemit sanguine.

MAXIMUS.

Desine tandem loqui. Fateris Caesarem?

CALVISONIANUS.

Negas Deum Christum? Antea errasse praedicas?

EUPLIUS.

Christi volo fidum vivere discipulum!

MAXIMUS.

Adhuc moremur hic?

CALVISONIANUS.

Loquatur gladius!

NONNULLI ETHNICI (*tumultuatum*).

Mori debet!

MAXIMUS.

Quod iussa fregit Caesaris!

CALVISONIANUS.

Rebellis Caesar, damneris capite!

SUPRADICTI ETHNICI.

Damnetur!

EUPLIUS.

Catani, morior sed innocens,
Et omne vobis donum adprecans a Deo!
At usque amplector libros, vos, carissimos,
Meoque martyris conspergo sanguine.

ETHNICI.

Sile.

MAXIMUS.

Impius damnetur ad supplicium! (1)

VOLUSIUS.

Ehu! quo vos partium ducit, cives, odium!
Erit quis iustior? Sanctior Euplio?
Et occidistis! Heu! Quod vituperium!
Tentamus opus omnium novissimum. (2)

(*Ad proximum numerum*).

(1) Milites ducunt Euplium extra scenam ad supplicium.

(2) Citato cursu introgreditur supraem acturus in libertatem Euplii.